

Resp. Dist. *Maj.* Ad correctionem plerumque; conc. Semper; neg. vel subdist. Ad correctionem saltem aliorum, tunc cum iudex poenam decernit, vel tunc cum reus patitur ipsam; conc. Ad correctionem ipsius rei, neg. Ad *Min.* concedo primum membrum et dist. secundum; non erunt alii, qui corrigantur praecise tunc quum damnati poenas post resurrectionem luant; conc. Nunc quando Deus ipsas decernit; neg. Praeterea sufficit absolute ut poena sit iustitiae vindicativae actus, quae ad ordinis instaurationem inferatur.

Inst. Ergo saltem post iudicium illa poena erit inutilis. Ergo...

Resp. Neg. Nam, ut optime asserit D. Thomas: (Suppl. Q. 99, a. 1, ad 4.) «Sunt hae poenae aeternae utiles ad duo, primo ad »hoc quod in eis divina iustitia conservetur, quae est Deo accepta »propter seipsam; secundo ad hoc sunt utiles, ut de his electi gau- »deant, cum in his iustitiam Dei contemplantur et dum se evasisse »eas cognoscunt.»

#### SCHOLION I.

*An in poenis damnatorum admitti possit aliqua remissio.*

45. **Nota.** Licet aliqui antiquorum Patrum aliquam poenarum remissionem damnatis interdum concedi opinentur (1), sententia contraria adeo in Ecclesia catholica praevaluit, ut reputetur ab aliquibus proxima fidei, eamque negare error, et certe temerarium videtur pronuntiandum, si a poena temporali (alias in purgatorio solvenda) pro peccatis venialibus aut mortalibus jam remissis debita, praescindatur, quare:

**Dico:** Poenae damnatorum pro mortalibus peccatis luendae numquam aliquam habebunt remissionem.

(1) In multis Ecclesiis ad benedictionem cerei paschalis decantabatur hymnus Prudentii L. cathemerinon. hym. V, v. 125.

«Sunt et spiritibus saepe nocentibus  
Poenarum celebres sub Styge feriae  
Illa nocte, sacer qua rediit Deus  
Stagnis ad superos ex acheronticis.»

Recentissime jam oblivioni datam sententiam non modo renovavit, sed ad quam usque perfruentum felicitate in inferno ampliavit cl. in scientiis naturalibus Miwart, in opusculis: *The Happiness in Hel.* (Felicitas in inferno) an. 1892, *Last Words on the Happiness in Hel.* (Postrema ratio circa felicitatem in inferno) 1893. Proscripsit utrumque S. O. eodem anno decr. 19. Julii. Auctor laudabiliter se subiecit. Vide refutationem hujus singularis doctrinae, quam Episcopus Nonttingham, dixit «pervertere in summo gradu et periculosissime doctrinam catholicam de inferno,» apud ephemerides *Civiltas catholica* 1893, tom. V, pag. 672.

Prob. 1.° Scripturâ (1): *Mortuo homine impio nulla erit ultra spes.* Apud Lucam (2) diviti illi Epuloni negatur quodcumque refrigerium etiam aquae guttula.

2.° S. Cyprianus (3): «Nec erit unde habere tormenta vel »requiem possint aliquando vel finem.» S. Bernardus (4): «In aeternum non obtinebit damnatus quod vult, et quod non vult »in aeternum sustinebit.» S. Gregorius M. (5): «Fit ergo »miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu; »quia et mors vivit, et finis semper incipit et deficere defectus »nescit.»

3. Ratio est status finalis damnatorum, impotentia aliquid mendi, eorumque indignitas aliquod beneficium a Deo recipiendi ac proinde cum in aeternum maneat in eis debitum aequale culpae mortalis, in aeternum poenam aeternae ei respondentem sine remissione sustinebunt.

46. Tanta est damnatorum miseria, ut plures auctores saltem probabiliter teneant (6): Damnatos non posse etiam pro poena temporali, alias in purgatorio solvenda aliquando satis pati, unde damnationis status reddit eorum purgatorium aeternum.

Ratio generalis est quia damnatus est indignus cujuscumque gratiae, et poena durare debet quantum duret debitum ejus. Ergo cum debitum poenae cessare non possit, neque poena cessare poterit. Hinc licet per se respondeat veniali vel reatui mortalis remissi poena temporalis, tamen ratione status, et per accidens juste pro eo infligitur poena aeterna.

Sententiae tamen aliorum insignium theologorum (7) qui sentiunt nullum veniale puniri poena aeterna, vel eorum qui cum D. Thoma (8) aliisque distinguunt inter peccata remissa et non remissa, haec poenâ aeterna punientes illa non, probabiles sunt; quia cum ex se peccatum veniale non postulet nisi temporalem poenam, hac soluta jam iustitiae Dei vindicativae satisfactum est, praesertim cum Deus non ultra condignum puniat damnatos.

47. Dices, majorem, quam sustinent deberi damnatis poenam juxta commune effatum, Deum praemiare ultra condignum et punire citra condignum, quia in omnibus operibus ejus juxta Scripturam et PP. relucet iustitia et misericordia. Ergo etiam in punitione damnatorum.

Resp. *Antec.* concedunt valde communiter theologo; contrarium tamen sentiunt aliqui ut Suarius (9). Ratio quae movet eum est, quia juxta Scripturam (10): *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi ut referat unusquisque propria corporis prout gessit sive bonum, sive malum,* ex quibus non solum affirmativam regulam colligimus, daturum scilicet Deum vitam aeternam cum perfecta et condigna meritorum retributione, sed etiam exclusivam

(1) Prov. XI, 12.—(2) XVI, 24.—(3) Ep. ad Demetr.—(4) De consol. L. c. 12.—(5) Mor. L. IX, 66.—(6) V. Lugo. De poenit. D. 10, a. n. 42.—(7) Scotus, Arriaga, Platelli, Siuri.—(8) 4, D. 22, q. 1, a. 1, ad 5.—(9) De grat. L. 12, c. 31.—(10) Cor. V.

(ut ita dicatur) regulam accipimus, nimirum, merita hujus vitae esse unicam et adaequatam rationem proximam propter quam gloria aut poena conferatur.

Illud commune effatum Deum punire citra condignum optime in hunc modum explicatur, quod cum Deus posset juste pro singulis peccatis graviores poenas taxare, nihilominus ex benignitate mitigavit illas, et minus graves imposuit; et hac ratione dicitur punire citra condignam quam taxare potuisset, non vero aliquid minuendo de poena, quae taxata est.

Huc usque de inferno ex revelatione et ratione probato: si quis attente et firma fide consideret exclamabit cum Bernardo (1). «O regio dura et gravis, regio extimescenda, regio fugienda! terra oblivionis, terra afflictionis, terra miseriarum, in qua nullus ordo, sed »sempiternus horror inhabitat! Locus letifer in quo ignis ardens, »ubi frigus rigens, vermis immortalis, foetor intolerabilis, mallei »percutientes, tenebrae palpabiles, confusio peccatorum, innodatio »vinculorum, horribiles daemonum facies. Totus tremo atque horreo ad memoriam illius regionis, et concussa sunt omnia ossa »mea. Quomodo cecidisti Lucifer, qui mane oriebaris? Omnis lapis »pretiosus operimentum tuum: modo subter te sternitur tineae et »operimentum tuum vermis. O Deus quanta distantia inter operimentum pretiosi lapidis et operimentum vermis; inter delicias »paradisi et tineam corrodentem inferni! Scio quia paratus est ille »ignis diabolo et angelis ejus et hominibus similibus ejus: ubi sine »fine finientur, sine morte morientur, torquebuntur sine cessatione. »Vivens igitur in infernum descende; percurre mentalibus oculis »tormentorum officinas, fuge scelera et vitia, pro quibus scelerati »homines et vitiosi perierunt. Habe odio iniquitatem et dilige legem Domini et in tam formidolosis nundinis fac sarcinam tuam, »odium peccati.»

## SCHOLION II.

### *De poenis puerorum limbi.*

**Dico:** Animae puerorum limbi nullo dolore sensibili, imo probabilius neque animi tristitia afficiuntur.

48. **Nota.** Certum est juxta catholicam fidem decedentes in solo originali non fructuosos visione Dei; ex concil. Florentino supr. n. 15; ex Scriptura apud Joannem (2): *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.* Opinio Cajetani subvenientis salutis infantium, quibus Baptismus non est possibilis, per fidem et orationem parentum; ab omnibus rejicitur et judicatur a Suario (3) ut valde aliena, remota a sensu et dogmatibus Ecclesiae, temeraria et saltem errori proxima. Dubia est theologorum mens

(1) Serm. de diver. 42.—(2) III, 5.—(3) De sacr. D. 27, sect. 3, n. 3.

circa statum animarum in limbo. Augustiniani et communiter jansenistae statuunt, parvulos limbo destinatos praeter poenam damni subire etiam poenam sensus, quamvis respective ad peccatores adultos mitissimam. Alii licet liberent a poena sensibili seu ignis, dicunt eos affici tristitia ob amissam beatitudinem (1). Alii tandem cum D. Thoma (2), ab utraque poena eos immunes profitentur. Suarez (3) sententiam eorum, qui igni pueros devovent dicit contra omnem pietatem et rationem esse. Est sententia nostra communis quoad primam partem et probabilior quoad secundam.

1.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.<sup>o</sup> Statuitur in Apocalypsi (4): *Quantum glorificavit se, et in deliciis fuit, tantum date illi tormentum et luctum.* Sed parvuli nec se glorificaverunt, nec in deliciis fuerunt. Ergo.

2.<sup>o</sup> Ex PP. S. Gregorius Nazian. supra n. 15, prob. 3.<sup>o</sup> S. Ambrosius (5) docet parvulos: «habituros poenae immunitatem, sed non regni honorem.» S. Gregorius Nyssen. (6) dicit: «eos in doloribus non futuros.» Vide prop. 26, Syn. Pist. a Pio VI. damnata. supr. n. 15.

3.<sup>o</sup> Communi omnium fere antiquorum et recentiorum sensu, qui magis concordat pietati et iudicio rationis; quare contrarium opinari est valde singulare nec apparet tutum.

4.<sup>o</sup> Ratione cum D. Thoma (l. c. a. 1): Poena debet proportionari culpae ut dicitur in Isaia (7): *In mensura contra mensuram, cum abjecta fuerit judicabis eam.* Sed poena sensibilis seu ignis esset improporcionata parvulis. Ergo, *Min.* Parvuli non sunt culpabiles propter eorum operationem, seu ut clarius explicat D. Thomas de Malo (8) per conversionem ad creaturam. Sed ei qui non est culpabilis per operationem est improporcionata poena sensibilis, quae consisteret in passione ejus, qui malam operationem non habuit. Ergo.

II.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.<sup>o</sup> S. Gregorius Nys. (9) «Immatura mors infantium demonstrat neque in doloribus et moestitia futuros esse eos, qui sic vivere desierunt.»

2.<sup>o</sup> Ratione: a) Poena afflictionis respondet delectationi actuali in peccato. Sed in solo originali decedentibus nulla fuit delectatio actualis. Ergo.

b) Poena decedentium in originali non debet eis ingerere odium et impatientiam, cum ipsi propria voluntate a Deo non fuerint aversi. Sed si ita decedentes tristarentur ob amissam beatitudinem, (alia enim causa fingi non potest), poena damni ingereret eis odium et impatientiam. Ergo, *Min.* prob. Quia cum haec tristitia magna esset et aeterna, in parvulis gratia Dei destitutis non posset non generare aliquem modum odii et impatientiae.

c) In hac vita ad remissionem originalis peccati necessarius non est ullus dolor, ergo neque in futura vita erit necessarius in poena,

(1) Bellarminus. L. 6, de amiss. gratiae cc. 6, 7, Valentia, Plattelli, etc.—(2) Suppl. Q. 71, (bis) al. Appen. Q. 1, ar. 1, et 2.—(3) De poenit. D. 45, sec. 2, n. 13.—(4) XVIII, 7.—(5) L. 2, de Abraham.—(6) Or. de infant.—(7) XXVII, 8.—(8) Q. 5, ar. 2 et 3.—(9) Or. de infant.

quae in pura privatione beatitudinis sufficienter complebitur (1).  
49. Obj. 1.º In iudicio universali (2) solum statuuntur duo ordines omnium iudicandorum, unus electorum, alter reprobatorum quibus dicitur: *discedite a me maledicti, in ignem aeternum*. Sed parvuli non erunt cum electis. Ergo erunt cum reprobis igne cruciandis.

Resp. In his et similibus testimoniis sensus est: Solum statuuntur duo ordines quoad adultos de quibus est sermo, ut patet ex eo quod agatur de illis hominibus, qui operibus propriis vitam aeternam vel infernum promeriti sunt, conc. Pro aliis; neg. Durandus cum aliis, quorum sententiam probabilem dicit Suarius (3), tenet parvulos hos non futuros in iudicio, vel saltem in eo non iudicandos esse: sed simpliciter ut spectatores in eo futuros.

2.º Permissis *antecedentibus* negat ultimam *conseq.* Bellarminus; possunt enim parvuli mitti in Infernum tamquam in carcerem, et tamen ejus igne non uri.

Obj. 2.º S. Augustinus (4): «Dominus iudicaturus duas partes facturus est, dexteram et sinistram: sinistris dicturus est, *venite in ignem aeternum*; dexteris, *venite benedicti*, etc... nullus relictus est medius locus ubi ponere queas infantes.»

Resp. Aliqui theologi ut Vazquesius (5): concedunt Augustinum et aliquem alium Patrem fuisse in opposita sententia; eorum tamen auctoritas non debet nos movere a sententia aliorum Patrum in Ecclesia communiter recepta; deinde explico: sentiunt aliqui Patres non relictum medium locum; in sensu pelagiano; conc. Sensus catholico; neg. Ita D. Thomas (6). Pelagiani dicebant parvulos habituros alicubi felicitatem extra regnum caelorum, contra hos significat Augustinus, illos tamquam reos esse puniendos in inferno, ita ut ignem aeternum suscipiat vel pro inferno, ubi est ignis aeternus vel pro damnatione et poena. Confir. haec explicatio ex verbis Augustini (7) ubi agens de parvulis ait: «non esse metuendum, ne vita esse potuerit media quaedam inter recte factum atque peccatum, et sententia iudicis media esse non possit inter praemium atque supplicium.»

Obj. 3.º «Majori culpae debetur major poena. Sed originale est majus peccatum quam veniale, quia plus habet de aversione, eo quod gratiam subtrahit, veniale autem secum gratiam compatitur; et iterum aeterna poena punitur originale, sed veniale temporali. Cum ergo veniali peccato debeatur poena ignis, multo amplius originali (8).»

Resp. Dist. *Maj.* Si sunt in eodem ordine voluntarii, conc. Si in diverso; neg. Et contradist.; *Min.* Si consideratur in se prout est in capite et membris; conc. Si consideratur in ratione voluntarii subdist. in capite; conc. In membris; neg. Ad rationes additas; ad primam; peccatum originale gratiam subtrahit non autem veniale;

(1) D. Thom. app. subl. a. 2; Suarez. De pec. origin. D. 9, sect. 6, n. 3.—(2) Matth. XXV, 34, 40.—(3) De Myst. v. Christi, D. 57, sec. 6, n. 1. (4) Serm. 14, de verb. Apostoli.—(5) In l. 2, D. 134.—(6) Q. 5, de malo, a. 2.—(7) De lib. arbitr. L. 3, c. 23.—(8) Ex D. Thom. append. a. 1.

dist. gratiam subtrahit ratione culpae et poenae in capite et ratione *aequivalenter* tantum poenae in membris, quae nihil habent de voluntario actuali; conc. Eodem modo in capite et membris; neg. Ad secundam responde juxta dicta obj. 3.º, thes. III, veniale punitur poena temporali in amicis; conc. In inimicis; neg. (Vid. supra Schol. I, Thes. VIII, n. 46).

Obj. 4.º Cognitio boni amissi causat tristitiam. Sed parvuli cognoscunt se amisisse illud regnum vel cognitione naturali, quia comprehendunt naturam suam, et cognoscunt aptam ad illam felicitatem, vel certe cognoscent in die iudicii. Ergo.

Resp. D. Thomas (l. c.) parvulos habere quidem cognitionem illam, sed non contristare eos; quia simul cognoscunt non habuisse modum, neque viam evadendi illud damnum, quia non proxime fuerunt dispositi ad obtinendum illud bonum.

Aliter Suarius (1), qui ait parvulos nihil cognoscere de beatitudine supernaturali; cognitione enim mere naturali supernaturalia nec attingere valent, nec necessarium est, eos id cognoscere divina revelatione. Jam ad illud de die iudicii probabile est ibi parvulos non adfuturos, et licet adsint, non est necesse ut omnia comprehendant, quae ibi agenda sunt: vel ad summum in genere intelligent Deum reddere bonis praemia, supplicia impiis, quae et qualia sint non necessario assequuntur: quia vero ipsi tempus non habuerunt bene vel male operandi, nihil de suo praemio vel poena intelligent, sed tantum manere se in bonis naturalibus: suaque proinde sorte erunt contenti, licet videant alios majus bonum recipere. Sed quia durum videtur hujusmodi cognitionem hominibus solo originali mortuis denegare in die iudicii; Dist. *Maj.* Causat tristitiam in voluntate non recta et aliquando a Deo aversa; conc. In voluntate recta, Deo naturaliter conjuncta ejusque suavi providentiae subjecta; neg. Partim enim ex divina Providentia, partim ex prudentia et rectitudine voluntatis, fore ut non sentiant tristitiam nec dolorem de beatitudine amissa; sed omnino sint conformes divinae voluntati et contenti iis bonis naturalibus, quibus erunt praediti (2).

### ARTICULUS III.

#### De beatitudine.

##### THESIS IX.

Animae justorum plene purgatae visione Dei intuitiva mox post mortem in caelo beantur, inaequaliter tamen pro meritorum diversitate.

(1) De pec. orig. D. 9, sec. 6, n. 4.—(2) V. Siuri. de limb. puer. c. 3, nn. 37-39.

50. **Nota.** Supponimus ex tractatu de Deo uno (1) visionis Dei intuitivae possibilitatem, supernaturalitatem, naturam, proprietates et caetera, quae, ut lumen gloriae, ad ipsam spectant. Thesis habet tres partes; primam aliqui veteres inficiati sunt quorum meminit Gregorius M. (2); eundem errorem admiserunt saeculo 7.<sup>o</sup> Armeni aliqui, et saeculo 14.<sup>o</sup> Palamitae; circa secundam erraverunt alii eo quod dicerent visionem beatificam animabus justorum, etiamsi essent plene purgatae, non concedi nisi post corporis resurrectionem in die iudicii extremi; sic nonnulli veteres haeretici, plures ex graecis schismaticis, denuo Calvinus et Lutherus. Saeculo 14.<sup>o</sup> celeberrima fuit controversia inter PP. Minoristas et PP. Dominicanos; illi contra hos contendebant justos huiusmodi admitti quidem in caelum mox post mortem, Christique in forma servi conspectu frui, ante vero resurrectionem non videre intuitive ipsam essentiam divinam. Joannes XXII hanc quaestionem non diremit, sed examini subiciendam curavit, deinde Benedictus XII (an. 1336) definivit doctrinam theseos. Tertiam partem saeculo 4.<sup>o</sup> negarunt joviniani et recentioribus temporibus plurimi protestantes cum Lutero.

51. I.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.<sup>o</sup> Ex Constit. *Benedictus Deus* Benedicti XII: «Definimus quod... animae... in quibus nihil purgabile fuit... mox post mortem suam... ante resumptionem corporis... in caelo fuerunt, sunt et erunt... ac post D. N. Jesuchristi passionem et mortem viderunt et vident divinam essentiam visione intuitiva et etiam faciali nulla mediante creatura in ratione objecti visi, sed divina essentia immediate, se nude, clare, et aperte eis ostendente... nec non quod ex tali fruitione et visione eorum animae qui jam decesserunt sunt vere beatae.» Concil. Florentinum (3): «Definimus... illas animas, quae sunt purgatae, in caelum mox recipi, et intueri clare ipsum Deum trinum et unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate alium alio perfectius.» Idem Gregorius XIII in Constitut. *SS. D. Noster*. Urbanus VIII, et Benedictus XIV in professionibus fidei graecis et orientalibus respective praescriptis.

2.<sup>o</sup> Scripturâ (4): *Videmus nunc per speculum* (δὲ ἐσόπτρου) *in aenigmate, tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte, tunc autem cognoscam sicut et cognitus sum.* Hic agitur de beatitudine justorum. Sed dicitur beatitudo obtineri in visione Dei intuitiva. Ergo. *Maj.* constat quia agitur juxta v. 10 de eo «quod perfectum est» sine admixtione mali quod non nisi beatitudini competit. *Min.*

(1) Vol. II, Disq. IV, nn. 96-99.—(2) *Mor.* L. 18, c. 28.—(3) *Decr. union.*—(4) I Cor. XIII, 12.

prob. a) Quia cognitionem intuitivam important expressio illa seu hebraismus *facie ad faciem*, et alia *cognoscam sicut et cognitus sum*. b) Quia asseritur de justis cognitio Dei, quae opponitur fidei cognitioni obscurae et non per proprias species. Sed talis est cognitio intuitiva. Ergo. c) Quia asseritur cognitio perfectissima *sicut et cognitus sum*, quae cum non possit esse comprehensiva, futura est intuitiva.

Eadem visio colligitur ex S. Joanne (1): *Charissimi nunc filii Dei sumus; et nondum apparuit quid erimus. Scimus quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est.* Ex S. Matthaeo (2): *Angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris mei.—Erunt (homines) sicut Angeli Dei in caelo.*

3.<sup>o</sup> S. Chrysostomus (3): «Hic quidem nemo videt (Deum) illic autem qui adsunt perpetuo vident, quatenus illum videre licet non solum praesentem, verum etiam suae gloriae splendore condecorantem universum caelum.» S. Augustinus (4): «Sicut Angeli faciem Patris vident ita et nos visuri sumus... Praemium itaque fidei visio ista servatur.»

4.<sup>o</sup> Cum D. Thoma (5): «Sanctorum desiderium non potest omnino frustrari; sed sanctorum desiderium commune est, ut Deum per essentiam videant, ut patet. Exodo (6) *Ostende mihi gloriam tuam*, et Psalmis (7) *Ostende faciem tuam, et salvi erimus.* Ergo sancti per essentiam Deum videbunt.»

52. II.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.<sup>o</sup> Ut in primo 1.<sup>ae</sup> Partis.

2.<sup>o</sup> Cum Apostolo (8): *Scientes quoniam dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino: (per fidem enim ambulamus et non per speciem) audemus autem, et bonam voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, et praesentes esse ad Dominum.* Ergo statim a peregrinatione a corpore, seu post mortem erimus praesentes ad Deum et eum videbimus. *Conseq.* probatur; quia sensus obvius verborum illam significat; quia *praesentes esse ad Deum* opponitur ut aliquid immediate sequens *peregrinari a Deo* vel ejus absentiae, quam nunc habemus, dum per fidem ambulamus et non per speciem. Idem docet scribens ad Corinthios (9): *Scimus enim quoniam si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur, quod aedificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, aeternam in caelis.* Et ad Philippenses (10): *Coarctor autem a duobus: desiderium habens dissolvi et esse cum Christo, multo magis melius; permanere autem in carne necessarium propter vos.*

(1) I.<sup>a</sup> III, 2.—(2) XVIII, 10; XXII, 30.—(3) Or. de S. Philogonia.—(4) *De civit.* L. 22, c. 29, n. 1.—(5) *Suppl. Q.* 92, ar. 1.—(6) XXXIII, 18.—(7) LXXIX, 20.—(8) II Cor. V, 6.—(9) *Ibid.* V, 1.—(10) I, 23.

3.<sup>o</sup> S. Cyprianus (1): «Quanta securitas exire hinc laetum, »claudere oculos in momento, quibus homines videntur et mundus, »et aperire eos statim ut Deus videatur et Christus... sine damno »temporis, merces Deo iudice redditur.» S. Gregorius Nys. (2): «Igitur si a te puella migravit, attamen ad Dominum recurrit... a »tua mensa discessit sed ad angelicam juncta est... Quam pulcher »ille oculus qui Deum aspicit!» Eadem veritas roboratur ex Concil. Tridentino sess. 25. de *Invocatione Sanctorum*; ex consuetudine orandi Ecclesiae; ut in festo S. Gregorii. «Deus qui »animae famuli tui Gregorii aeternae beatitudinis praemia contu- »listi;» in Commendatione animae precatur: «Subvenite, Sancti »Dei; occurrere, Angeli Domini: suscipientes animam ejus: offe- »rentes eam in conspectu Altissimi.»

4.<sup>o</sup> Non est affirmanda dilatio beatitudinis sine ratione. Sed nulla adest neque ex parte hominis, cum post mortem sit in termino meriti et nihil habeat expiandum; neque ex parte Dei cum jam Christus morte sua caelum aperuerit, et ipse sit justus iudex ad misericordiam pronus. Ergo. Confirm. ex descensu Christi ad inferos et ascensione in caelum. Ideo enim Christus descendit, ut limbum evacuaret et patres liberaret; et ideo ascendit, ut januam caeli aperiret. Si ergo ponatur, animas sanctas non statim ingredi in caelum, necessario adhuc limbum existere et caelum clausum esse deberet. Hoc argumentum etiam Patres saepe urgent, e. g. Athanasius (3): «Deus caeli januas patefecit, perque Dominum »nostrum viam absque ullo impedimento ascendentibus muni- »vit (4).»

53. III.<sup>a</sup> Pars. Prob. 1.<sup>o</sup> Ex Concil. Florentino ut in prob. 1.<sup>o</sup> 2.<sup>ae</sup> part.

2.<sup>o</sup> Cum Paulo (5): *Unusquisque... propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.—Hoc autem dico: Qui parce seminat, parce et metet: et qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus et metet* (6). Merces quae accipitur est beatitudo. Sed illa erit laboribus proportionata, et non omnes eadem animi contentione laborant. Ergo. Praeterea de beatis (7) asseritur: *Stella enim a stella differt in claritate: sic et resurrectio mortuorum.* De caelo dicitur (8): *In domo Patris mei mansiones multae sunt.* Ubi claritas gloriam significat vel essentialem vel externam corporum quae illi proportionata esse debet; mansiones vero important diversos gloriae gradus. Ergo (9).

(1) *Exhort. ad martyr.*—(2) *Or. funebr. in Pulcheriam Teodosii Imp. filiam.*—(3) *Ep. heortasticae festal. 5, n. 3.*—(4) *Ex Egger. Enchir. n. 681.*—(5) *I.<sup>a</sup> Cor. III, 8.*—(6) *II.<sup>a</sup> Cor. IX, 6.*—(7) *I.<sup>a</sup> Cor. XV, 41.*—(8) *Joann. XIV, 2.*—(9) *V. Petav. De Deo, L. 7, c. 20.*

3.<sup>o</sup> S. Cyprianus (1): «Cum habitationes multas apud Pa- »trem suum dicat (Christus) melioris habitationis hospitia demons- »trat; habitacula ista meliora vos petitis, carnis desideria castrantes »majoris gratiae praemium obtinetis.» S. Gregorius M. (2): «Quia in hac vita nobis est discretio operum, erit in illa procul »dubio discretio dignitatum, ut quo hic alius alium merito superat, »illic alius alium retributione transcendat, unde in Evangelio Ve- »ritas dicit: *In domo Patris mei, etc.*»

4.<sup>o</sup> Rationibus: a) In sacris litteris aeternam felicitatem seu bea- titudinem, asseritur esse retribuendam ut praemium, ut mercedem, ut coronam justitiae. *In reliquo reposita est mihi corona justitiae* (3). Sed praemium, merces et corona justitiae pro meritorum diversitate redduntur, et justorum merita sunt inaequalia. Ergo.

b) Eadem debet esse ratio distribuendi praemia ac poenas. Sed poenae impares pro delictorum diversitate infliguntur. Ergo.

c) Decet sapientem et providum gubernatorem, ut in praemiis decernendis proportio cum meritis servetur, secus deesset incitamentum progrediendi in via perfectionis atque ardua et periculosa opera suscipiendi pro honore Dei. Sed beatitudo est praemium justis promissum quorum merita non sunt aequalia, cum eorum aliqui praecepta tantum, alii etiam consilia observent. Ergo... «Si »nulla sit meritorum diversitas, ait S. Hieronymus, (4) si »aequalis meriti sint leviora virtutum opera et martyrum constan- »tia, vanum erit perfectionis studium... omnes a perfectione retra- »hentur: Quid perseverant virgines?... Peccemus omnes et post »poenitentiam idem erimus quod Apostoli sunt (5).»

#### THESIS X.

Beatitudo formalis supernaturalis constituitur per aliquam hominis operationem.

54. *Nota.* I. Beatitudo definitur a Boetio (6): «Status omnium »bonorum aggregatione perfectus.» A S. Augustino (7): «Bonorum omnium summa et cumulus;» a D. Thoma (8), «Bo- »num perfectum quod totaliter quietat appetitum.» Ab scholasticis DD. «Summum bonum appetitus rationalis adaequate satiativum.» Beatitudo est vel *objectiva*, objectum nempe seu bonum, quo beati efficitur, et hoc est Deus cujus solius infinita bonitate plene sa-

(1) *De Virg. n. 23.*—(2) *Mor. L. 4, c. 36.*—(3) *II, Timot. IV, 8, v. Rom. II, 6.*—(4) *Contra Jovin.*—(5) *Recole ex Vol. II. Disq. IV, Thes. XVIII, et praeced. Thes. XVII ubi difficultates contra hanc thesim invenies solutas. Vide etiam. Obj. Thes. III, hujus Disq.*—(6) *De consol. philosoph. L. 3, pros. 2.*—(7) *Enarr. in Ps. II, n. 11.*—(8) *I, 2, Q. 2, a. 8.*